

unum, Euphrates philosophus. Hunc ego in Syria, quum adolescentulus militarem, penitus et domi inspexi, amarique ab eo laboraui, etsi non erat laborandum. Est enim obuius et expositus, plenusque humanitate quam praecipit. Atque utinam sic ipse, quam spem tunc ille de me concepit, impleuerim, ut ille multum virtutibus suis addidit! At ego nunc illas miror, quia magis intelligo: quamquam ne nunc quidem satis intelligo. Ut enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare, ita, nisi sapiens, non potest perspicere sapientem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in Euphrate sic eminent et elucent, ut mediocriter quoque doctos aduertant et adficient. Disputat subtiliter, graviter, ornate; frequenter etiam platoniam illam sublimitatem et latitudinem effingit. Sermo est copiosus et varius: dulcis inprimis, et qui repugnantes quoque ducat et impellat. Ad hoc proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba. Quae licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis adquirunt. Nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum seueritatis: reuerentis occursum, non reformides. Vitae sanctitas summa, comitas par. Insectatur vitia, non homines: nec castigat errantes, sed emendat. Sequaris monentem attentus et pendens: et persuadere tibi, etiam quum persuaserit, cupias. Jam vero liberi tres, duo mares, quos diligentissime instituit. Socer Pompeius Julianus, cum cetera vita, tum vel hoc uno magnus et clarus, quod ipse prouinciae princeps inter altissimas condiciones generum, non honoribus principem, sed sapientia, elegit. Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? An ut magis angar, quod non licet? Nam dstringor officio ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas: scribo plurimas, sed illitteratissimas litteras. Soleo nonnunquam (nam id ipsum quando contingit!) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me consolatur, adfirmat etiam esse hanc philo-